

## SEPTEMBER

Die 4 Septemboris

S. Moysis, legislatoris et prophetæ  
Memoria

*Ant. ad introitum*

Sir 45, 1

Diléctus Deo et homínibus Móyses cuius memória in benedictióne est.

*Collecta*

Dómine, qui per Móysen eduxísti pópulum tuum de terra captivitátis, eíque sanctam legem tuam tradidísti, fac nos, quæsumus, a peccáti servítute liberátos, ita tuis inhærére mandátis, ut ad pátriam perveniámus ætérnam.

Per Dóminum.

LECTIO PRIOR (proprr.)

«Non surrexit ultra propheta in Israel sicut Móyses»

Léctio libri Deuterónomii

34, 1 - 12

In diébus illis:

Ascéndit Móyses de campéstribus Moab super montem Nebo, in vérticem Phasga contra Iéricho. Ostendítque ei Dóminus omnem terram Gálaad usque Dan et univérsum Néph-tali, terrámque Ephraim et Manásse et omnem terram Iuda usque ad mare novíssimum, et austrálem partem et latitúdi-

nem campi Iéricho, civitatis palmárum, usque Segor. Dixítque Dóminus ad eum: «Hæc est terra, pro qua iurávi Abraham, Isaac et Iacob dicens: «Sémini tuo dabo eam». Vidísti eam óculis tuis, et non transíbis ad illam».

Mortuúsque est ibi Móyses, servus Dómini, in terra Moab, iubénte Dómino; et sepelívit eum in valle terræ Moab contra Phogor, et non cognóvit homo sepúlcrum eius usque in præséntem diem. Móyses centum et vigínti annórum erat quando mórtuus est. Non caligávit óculus eius nec dentes illíus moti sunt. Fleverúntque eum filii Israël in campéstribus Moab trigínta diébus; et compléti sunt dies planctus lugéntium Móysen.

Iósue vero, fílius Nun, replétus est spíritu sapiéntiæ, quia Móyses pósuit super eum manus suas; et oboediérunt ei filii Israël, fecerúntque sicut præcépit Dóminus Móysi.

Et non surréxit ultra prophéta in Israël sicut Móyses, quem nosset Dóminus fácie ad fáciem, in ómnibus signis atque porténtis, quæ misit per eum, ut fáceret in terra Ægypti Pharaóni et ómnibus servis eius universæque terræ illíus, et cunctam manum robústam mágnaque mirabília, quæ fecit Móyses coram univérso Israël.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Deut 32, 1 - 2. 3 - 4a. 10 - 11 (R. 3)

R. Nomen Dómini invocábo; date magnificéntiam Deo nostro.

I Audíte, cæli, quæ loquor  
áudiat terra verba oris mei.  
Concréscat ut pluvia doctrína mea  
fluat ut ros elóquium meum. R.

2 Quia nomen Dómini invocábo;  
date magnificéntiam Deo nostro.  
Dei perfécta sunt ópera,  
Et omnes viæ eius iudícia. R.

3 Sicut áquila próvocans ad volándum pullos suos  
et super eos vólitans,  
expándit alas suas et assúmpsit eum  
atque portávit in húmeris suis. R.

ALLELUIA

cf Ex. 15, 1

R. Allelúa. V. Cantémus Dómino: glorióse enim magnificá-  
tus est. R. Allelúa.

EVANGELIUM (pr.)

«Non Móyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater»

† Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

6, 28-35

In illo témpore :

Dixérunt Iudæi ad Iesum: «Quid faciémus ut operémur ópera Dei?» Respóndit Iesus et dixit eis: «Hoc est opus Dei, ut credátis in eum quem misit Ille». Dixérunt ergo ei: «Quod ergo tu facis signum, ut videámus et credámus tibi? Quid operáris? Patres nostri manna manducáverunt in deserto, sicut scriptum est: Panem de cælo dedit eis manducáre». Dixit ergo eis Iesus: «Amen, amen dico vobis: Non Móyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum: panis enim Dei est qui descéndit de cælo et dat vitam mundo».

Dixérunt ergo ad eum: «Dómine, semper da nobis pa-

nem hunc». Dixit eis Iesus: «Ego sum panis vitæ; qui venit ad me non esúriat, et qui credit in me non sitiæt umquam.»

Verbum Dómini.

*vel* (propr.)    «Ecce apparuerunt Móyses et Elías cum Iesu loquentes»

† Lectio sancti Evangélii secúndum Matthaéum                  17, 1-9

In illo témpore :

Assúmit Iesus Petrum et Iacóbum et Ioánnem fratrem eius, et ducit illos in montem excélsum seórsum. Et transfigurátus est ante eos, et resplénduit fácies eius sicut sol, vestiménta autem eius facta sunt alba sicut lux. Et ecce appáruit illis Móyses et Elías cum eo loquéntes. Respóndens autem Petrus dixit ad Iesum: «Dómine, bonum est nos hic esse: si vis, fáciam hic tria tabernácula, tibi unum et Móysi unum et Elíæ unum».

Adhuc eo loquénte, ecce nubes lícida obumbrávit eos, et ecce vox de nube dicens: «Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui: ipsum audíte». Et audiéntes discípuli cecidérunt in faciem suam et timuérunt valde. Et accéssit Iesus et tétigit eos dixítque eis: «Súrgite et nolite timére». Levántes autem óculos suos, néminem vidérunt nisi solum Iesum. Et descendéntibus illis de monte, præcépit eis Iesus dicens: «Némini dixeritis visiónem, donec Fílius hóminis a mórtuis resúrgat».

Verbum Dómini.

*Super oblata*

Súscipe múnera, Dómine,  
in beáti Móysis commemoratióne deláta,

ut fidélium tuórum oblátio in Eius sacrificium tránseat  
qui novum æternúmque Testaméntum  
suo sanguine consecrávit.

Qui tecum vivit.

*Ant. ad communionem*

Ex 16,15

Iste est panis, quem Dóminus dedit vobis ad vescéndum.

*Post communionem*

Deus, qui pópulum tuum  
per quadragínta annos in desérto manna cibásti,  
et in terram promíssam introduxísti,  
præsta nobis fámulis tuos, ut hoc cæléste convívium,  
sit nobis, vitæ præséntis auxílium páriter ac futúræ.

Per Christum.